

farum occasionalium Deus modificat animam
in gratiam corporis & corpus in gratiam
animæ, producendo scilicet has ideas, non
alias, quia hi sunt in corpore motus, non
aliis; & producendo hos corporis motus
non alios, quia anima has, non alias ha-
bet perceptions. Unde apparet in hoc
systemate animam destitui vi *activa*, qua
motus in corpore producitur, & tantum-
modo per suas volitiones occasionem præ-
bere Deo hos motus producendi, similiter
corpus per motus suos occasionem. Deo
præbet producendi has in anima ideas.
Hinc juxta systema causarum occasionalium
Deus hasce constituir leges. 1, Quoties
organii sensorii motus ad cerebrum propa-
gatur, toties in anima oriri debet idea
sensualis ob mutationem in organo senso-
rio factam, atque huic mutationi idea
quoque sensualis in anima coexistere de-
bet. 2, Quoties animæ eadem est motus
cujusdam volitio, toties quoque idem in
corpore oriri debet motus per organorum
constitutionem possibilis; & quoniam ista
volitio in anima existit, eidem quoque motu
coexistere debet, ac proinde Deus in
hoc systemate ita modificat animam in
gratiā corporis, non secus ac si corpus
in animam influeret, seu vi sua motum
corporis produceret. Hoc est percelebre
systema causarum occasionalium, in quo
quidem salva esse non posse videretur vo-
luntatis libertas, si animæ adimeretur om-
nis vis activa, ita ut Deus in eadem pro-
ducat omnes perceptiones, appetitiones,
volitiones. Si vero Deus animæ vim tan-
tum-